



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij  
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

**Sánchez, Tomás**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

5. Vidua.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41559**

iurisdictione, manet verus Vicarius, & potest iudicare causam ab alio delegatam, quando cognitio eius non est specialiter suspensa per excommunicationem. Item Episcopus suspensus, vel excommunicatus denunciatus potest, & etiam eius Vicarius interesse matrimonio: non tamen potest constituere Vicarium, aut parochum. Cessat morte ipsius Episcopi omnino ipso facto, & omnia gesta sunt nulla, etiam quoad negotia cœpta, licet mors non sit intimata Vicario. Et quando est conscius Vicarius mortis, & communiter ignoratur, interim gesta valent. Secus dicendum, quando communiter scitur, & ille minimè. Et idem dicendum, quando Vicarius est reuocatus ab Episcopo. Item differentia, quæ reperitur inter Vicarium foraneum, & Ordinarium est, quod iurisdictione ordinarij expirat omnino morte Episcopi, etiam quoad incepta negotia, foranei verò minimè, *libro. 3. tota disputatione. 30.*

4 Nomine Officialis diœcesani intelligitur Vicarius generalis Episcopi illius diœcesis, *l. 8. disp. 27. nu. 19.*

*Vidua.*

1 Vidua semel fornicans anno luctus perdit legatum à viro relictum post sententiã iudicis, ac incurrit omnes pœnas nubentiũ intra illum annum, nisi eo anno luctus, quo femina fornicatur, iam secundo nupserat ante fornicationem, vel si post annum luctus vidua adhuc

huc fornicata est. Et hoc etiam attento iure Regio Castellæ, *lib. 7. disp. 90. à nu. 1. vsq. ad 7. & nu. 11.*

2 Vidua luxuriosè viuens in Regno Castellæ amittit lucra constante matrimonio acquisita, *l. 7. disp. 90. nu. 8.*

3 Vidua fornicans non priuatur proprietate bonorū ex prioris viri substantia acquisitorum, & non tenetur eam restituere filius prioris matrimoni, *l. 7. disp. 90. nu. 14.*

4 Vidua fornicans in foro conscientiæ non amittit, necdum per vnam fornicationem, aut tactus, filiorum tutelam. Si tamen fuerit accusata in foro externo de fornicatione, tutela est priuanda, *libro. 7. disputation. 90. numero 16.*

5 Vidua secundo nubens intra annū luctus perdit lectum quotidianum, & debet restituere medietatem hæredibus defuncti: qui lectus deducendus est ex aceruo bonorum, quæ constante matrimonio acquisita sunt. Quod si talia lucra non supersint, deducetur ex capitali coniuges defuncti. Et hic lectus quotidianus non intelligitur sericus, vel pretiosus, quo tempore matrimonij utebantur coniuges, sed is, qui statui viduali conueniens est, *lib. 7. disp. 87. n. 32.* Attamen vestes lugubres ex substantia prioris mariti sibi traditas non perdit, nec tenetur restituere, casu quo tenentur hæredes viduam alere, teneri quoque ad has vestes præstandas. Secus autem non, nisi adsit  
con-

cōsuetudo. Et quando vestes sunt modici pretij, censentur donatæ, si hæres tenetur eas dare, eo quod teneatur eas alere, vel quia consuetudo est. Et quando non tenetur eas præstare, distinguendum est, aut sunt pretiosæ, aut quotidianæ: si pretiosæ, non censentur donatæ, si verò quotidianæ, censentur donatæ. Et casus, quo vidua tenetur secundo nubens restituere vestes lugubres, non est correctus iure canonico, *l. 7. d. 87. n. 31.*

6 Coniux transiens ad secundas nuptias amittit proprietatem omnium bonorum, quæ à coniuge defuncto consequutus est, & eas transfert ad filios prioris matrimonij, retento solo usufructu. Nec potest dare in dotem posteriori marito, nec alio titulo ei relinquere plusquam dederit vni ex filijs prioris matrimonij, cui minus reliquit, *lib. 7. disp. 88. num. 2. & 3.* Item quamuis administrans mater bona filij non teneatur de modicis rationem reddere, secundò nubens tenetur, *ib. n. 36.*

*Virginitas.*

1 Virgo manens potest concipere ex semine viri circa vas effusio, matrice fœminæ illud attrahente, *l. 7. disp. 113. nu. 10.*

2 Virgo deflorata semper præsumitur seducta in foro externo, *lib. 8. disputation. 36. numer. 12.*

3 Existimans virginem, eam, cum qua iniit matrimonium, cum tamen sit corrupta, nõ tenetur illud contummare, *l. 7. disp. 18. nu. 10.*

4 Virgo